



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VIII. Soluuntur vltteriùs alia argumenta contra nostram veriozemque
sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

CAPVT VIII.

*Soluuntur ulterius alia argumenta contra
nostram veriorēque sententiam.*

61. **A**Rgumentantur sexto : si repugnantibus creaturis Deus maneret, sanè hoc ipso iudicaret ignem verbi gratia esse ignem, & non esse ignem : at implicat in Deo tale iudicium, cum sit essentialiter falsum : ergo repugnantibus creaturis non maneret. Minor probatur : nam hoc principium impossibile est : *idem simul esse, & non esse* essentialiter verum est, & obiecto conforme : ergo iudicium huic oppositum aliquid simul esse, & non esse affirmans essentialiter falsum, & obiecto disforme est, ac proinde Deo repugnans. Maior probatur, quia in primis Deus in eo euentu iudicaret, ignem esse ignem : siquidem iudicium ferret de impossibilitate ignis : sed impossibilem esse ignem, supponit eum esse ignem ; aliàs si non esset ignis, certè non ignis, sed aliud quid impossibile foret : tum ergo ignem esse ignem iudicaret. Rursus simul iudicaret, non esse ignem : namque iudicium ferret de impossibilitate ignis, vt dictum est : impossibilitas autem ignis est eius à quavis natura possibili, ac proinde ab ignis natura, & quidditate vera distinctio : ignem igitur ab igne distinctum, ac per consequens non ignem iudicaret. Confirmatur, & declaratur : si ignis esset verè impossibilis, ei duo contradictoria conuenirent, cum impossibilitas nihil aliud sit, quam contradictio, & repugnantia terminorum : Deus ergo de igne in eo euentu duo contradictoria affirmaret : quando igitur iudicium duo contradictoria affirmans falsum est, sanè Deus in eo euentu iudicium falsum haberet, atque adeò repugnaret, deficeretque. Aut aliter : Deus essentialiter postulat, vt quiuis eius actus verus sit : at actum Dei verum esse est non affirmare duo contradictoria : Deus ergo essentialiter postulat, vt nullus eius actus duo contradictoria affirmet : at si darentur re ipsa, non posset Deus ea non affirmare : postulat igitur essentialiter ne dentur ; ac per consequens ne creatura repugnet : vnde cum earum non repugnantia, seu possibilitate essentialiter connectitur.

62. Huic argumento nonnulli plus æquo tribuunt : ei tripliciter respondeo. Primò negata maiori : cuius rei gratia notandum est, dupliciter ignem in impossibilem, ac non ignem transire posse : primò, in sensu composito ignis, & possibilis ; ita vt ignis & possibilis maneat : secundo, in sensu diuiso ignis, & possibilis ; ita vt ignis, & possibilis non maneat. Igitur igne impossibili, & repugnante hoc posteriori modo, nequaquam iudicaret Deus, eum ignem esse, & non ignem ; possibilem, & impossibilem : siquidem ex parte obiecti haudquaquam foret ignis, & non ignis ; possibilis, & impossibilis ; eo quod in solo sensu diuiso ignis, & possibilis in non ignem, & impossibilem abiret : ac proinde non est, cur sic repugnante igne Deus repugnare deberet. Ceterum igne impossibili, & repugnante prio-

ri modo prædictum iudicium Deo conueniret, & sic quantumlibet Deus repugnaret, nos non vrget : quibus satis est, vt Deus manere possit in euentu, quo creatura aliquo modo, qualiscunque demum ille sit, repugnaret ; esto is repugnantia modus excogitari possit, cum quo Dei permanentia non cohereret. Ad probationem maioris respondeo, Deum præcisè iudicaturum ignem esse non ignem, & non possibilem, seu repugnantem : ignem verò esse impossibilem, & repugnantem supponeret illum etiam esse ignem in euentu, quo in sensu composito in non ignem transiret ; secus vero si in sensu diuiso ignis in non ignem transiret ; quem euentum nos solum admittimus : vnde non est, cur ignem esse ignem Deus iudicare deberet : quod autem inferunt non ignem quidem, sed aliud quid tunc impossibile futurum, friuolum est : vt enim ignis impossibilis dici posset, in chimæramque conuersus, sufficit, vt antea ignis fuisset ; licet tum ignis non maneret : sicut vt lignum in ignem conuertatur, opus non est, vt lignum sit, sed sufficit, quod tale fuerit.

63. Secundò respondeo, negata minori : nam in ea hypothese Deus ignem esse, & non esse ignem iudicaret, & hoc iudicium verissimum foret ; quia tunc ignis simul esset, & non esset ignis : vnde propositio, qua id Deus affirmaret, conformis suo obiecto ; ac proinde vera futura esset. Ad probationem minoris respondeo : principium istud in sua vniuersalitate sumptum non esse essentialiter verum, sed duntaxat necessario, & metaphysicè inenitabiliter ; ita de absoluta potentia Dei ei falsitas subesse non possit : quod ex eo oritur, quia eius obiectum videlicet impossibilitas, vt idem sit, & non sit, diuinitus variari non potest : quod si per impossibile variaretur, & idem simul esset, & non esset ; sanè iudicium illud falsum esset, & iudicium, quod Deus oppositum iudicaret, verum, & conforme obiecto. Dixi, principium istud vniuersaliter sumptum non vendicare essentialē veritatem, quia non negauerim plura iudicia de impossibilitate simul essendi, & non essendi essentialiter vera, & quæ repugnarent, si ea impossibilitas repugnaret, & idem simul esse, & non esse posset.

64. Replicabis primò : si igne repugnante Angelus, aut homo vno actu ignem esse ignem, & possibilem affirmaret, & altero id negaret, & esse impossibilem, & non ignem assereret : sanè ea propositiones simul veræ non essent : nam contradictoria, quales ea sunt, simul veræ, aut simul falsæ esse non possunt, teste Aristotele, quem omnes Philosophi sequuntur : vnde ex iis altera vera, altera falsa esset. At diuinum iudicium sensum, & obiectum vtriusque necessario haberet, & vtriusque æquipolleret : igitur alterius falsitatem haberet, quidquid sit, an alterius veritatem habeturum esset : sicut si quis vno actu Petrum currere verè affirmaret, & altero Paulum, currere falso assereret : sanè hæc propositio tertia duabus prioribus æquiualens *Petrus currit, & Paulus currit*, posterioris actus non minus obiectum, quam falsitatem haberet : at falsitas Deo repugnat, quantumvis cum veritate coniuncta sit. Respondeo, eas propositiones, siue humanæ, siue Angelicæ essent, veras simul, & obiecto conformes

mes futuras : prior quidem vera esset , quia tantum affirmat , ignem esse ignem : at ignis in eo euentu ignis esset : posterior , quia solum asserit , ignem non esse ignem : at ignis in eo euentu ignis non esset. Quod autem Philosophi cum Aristotele docent , contradictorias non posse esse simul veras , & alteram earum necessario esse falsam , verissimum est , neque nobis contrarium : siquidem ea necessitas , ut ambæ veræ non sint , & altera falsa sit ; ex obiecto oritur : videlicet , quia diuinitus fieri nequit , ut idem simul sit , & non sit ; quod est obiectum propositionum mutuo contradicentium : quod si per impossibile hoc obiectum aliter se haberet , & idem simul esset , contradictoria simul veræ , & obiecto conformes futuræ essent : ac proinde verum foret diuinum iudicium , quod vtriusque obiectum complecteretur. Replicabis secundò : eadem ratione dici posse , & debere eas contradictorias in illo euentu simul falsas exituras : siquidem altera affirmat , ignem esse ignem : at ignis tum ignis non esset : igitur ea propositio obiecto difformis , & falsa esset. Rursus altera affirmat , ignem : at ignis tum ignis esset : igitur & hæc propositio falsa , & obiecto difformis esset. Respondet , modo quidem ad falsitatem actus affirmantis ignem non esse ignem sufficere , quod ignis sit ignis : siquidem modo hæc duo opposita , & impossibilia sunt : at in eo euentu compossibilia essent ; imò de facto composita , & simul coniuncta , & identificate forent : Vnde nec ignem esse ignem veritati actus id negantis obesset , neque non ignem veritati actus , qui id affirmaret.

65. Respondeo tertio , Deum de neutro eorum extremorum iudicium laturum , sed fore , ut ab utroque , videlicet ab eo , quod ignis sit ignis , & ab eo , quod non sit ignis , præcinderet : quod nullam in Deo imperfectionem argueret , aut ignorantiam , eo quod tum nec ignis esset ignis , nec non ignis , & nec possibilis esset , nec repugnans : licet enim de facto vtrumlibet contradictorium dari debeat , & illud principium : *Quodlibet est , aut non est* necessario verum sit ; tamen in eo euentu aliter se res haberet : & nec verum esset , aliquid debere esse aut non esse , neque id à Deo cognosceretur. Quod ita euenturum hac ratione suadeo : tum deficeret possibilitas ignis , ergo & eius entitas , ac per consequens veritas : ergo à Deo cognosci non posset : cum cognitio omnis in aliquam veritatem obiectiuam ferri debeat : igitur ignem esse , aut non esse ignem non iudicaret , cum hoc iudicium ad ignem terminetur , illumque cognoscat. Secundò id suadeo : quia quod ignis debeat esse , aut non esse possibile , aut repugnans est : at in euentu nostræ disputationis omnia creata impossibilia essent , atque repugnantia : repugnaret igitur , ignem esse , vel non esse : ac proinde ignis , nec ignis , nec non ignis futurus esset : vnde mirandum non est , si de neutro horum extremorum Deus iudicium proferret.

66. Obijcies tamen : repugnantia est impossibilitas : igitur non repugnantia est non impossibilitas : at non impossibilitas est possibilitas , sicut non tenebræ lux : igitur non repugnantia est possibilitas : tum sic : igitur si in eo euentu , de quo disputatur , ignis non repugnat , nec est

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

non ignis , ut fatemur ; sane erit possibilis , & ex natura sua ignis : perperam ergo statuimus ; ignem tum nec possibilem , ignemue , nec non ignem , repugnantemue futurum : siquidem hoc ipso , quod repugnantiam ignis manere negemus , in eius possibilitatem declinamus ; cum , ut dictum est , eum esse possibilem , & non repugnantem solis vocibus dissideant. Respondeo in hoc euentu , & in præcænti rerum ordine non repugnantiam esse possibilitatem : & perinde esse rem repugnare , & possibilem esse : secus vero in alio euentu , & in diuerso ordine , qui esset non rerum , sed figmentorum , & entium rationis : vnde esto tum verum non esset , ignem repugnare , & esse non ignem , non ob id esse ignem , & non repugnantem verificaretur ; sed ab igne , & non igne re ipsa , & in mente diuina abstraheretur , ut hæc vltima solutio contendit. Tres solutiones positæ probabiles sunt , & inuicem non contradicunt : variis enim modis creaturæ repugnare possunt : ac proinde , aut repugnare possunt per hoc , quod earum possibilitas in repugnantiam conuertatur in sensu diuiso , & possibilitate non manente , iuxta primam solutionem , aut per hoc , quod earum possibilitas maneat , & in sensu composito in repugnantiam transeat , iuxta secundam solutionem : aut demum per hoc , quod neque possibles , neque repugnantes sint , iuxta tertiam , & vltimam solutionem.

67. Ex his ad confirmationem argumenti liquet : nam iudicium diuini intellectus falsum non foret , esto duo contradictoria affirmaret : quocirca eiusmodi iudicium verum esset : veritas autem ut sic in conformitate actus cum obiecto sita est : licet autem de facto talis conformitas possit , ut actus duo contradictoria non asserat : tamen in eo euentu impossibili id non postularer , sed potius oppositum. Aliter etiam dici potest ad eandem confirmationem ; nempe ignem fingi posse impossibilem , aut per additionem , aut per subtractionem meram : siue quod eodem redit , aut per hoc , quod eius prædicatis alia opposita per identitatem copulentur : aut per hoc , quod nulla ei prædicata possibilia salua maneat , siue in sensu composito , siue in sensu diuiso aliorum contradicentium : quod si hoc posteriori modo supponatur , ignem euadere impossibilem , haud opus erit , ut iudicium diuinum duo contradictoria assermet , falsitativè vlli sit obnoxium.

68. Argumentantur septimò : casu quo ignis repugnaret , eique duo contradictoria conuenirent , posset Deus manere : ergo & posset manere casu , quo hæc ei contradictoria conueniant , nempe esse possibilem , & impossibilem : at si hæc ei conuenirent , non maneret Deus : ergo idem erit , quæcunque contradictoria igni conuenire fingantur. Minor probatur : quia tum Deus esset potens , & non potens producere ignem : potens , quia ignis esset possibilis : non potens , quia idem ignis esset impossibilis : Deum autem esse potentem , & non potentem , est eum repugnare , adeoque deficere : deficeret ergo , si ignis non esset possibilis , haberetque prædicata contradictoria , de quibus supra. Nec valet , si etiam respondeas , Deum saltem mansurum ,

O ;

si ignis esset præcisè impossibilis, non verò si esset possibilis simul, & impossibilis. Nam hinc fiet, saltem cum connecti cum hoc, quod repugnet, ignem esse simul possibilem, & impossibilem: ergo connectetur essentialiter cum aliqua repugnantia à se distincta: & tamen non dependebit propterea ab illa: quanquam ergo connectatur cum possibilitate creaturarum à se distincta, non ob id ab ea dependebit: & sic præcipuum nostra sententia fundamentum corruet, nullumque esse comperietur.

69.

Respondeo, Deum mansurum, non tantum casu, quo deficeret possibilitas ignis, aut per eius veluti præcisionem à possibilitate, & impossibilitate, aut per conuersionem possibilitatis, qua præditus erat, in impossibilitatem: sed casu, quo coniungeretur in eo possibilitas cum impossibilitate. Tum autem foret Deus simul potens, & non potens absque vlla intrinseca repugnantia ex parte Dei, quippe qui tum eam coniunctionem potentia, & non potentia nequaquam exigeret essentialiter: ad modum, quo diximus supra capite 7. in solutione 4. argumenti fore ut tum Deus absque repugnantia intrinseca coëxisteret, & non coëxisteret possibilitati ignis. Hic autem ulterius addimus prædictum argumentum quantum aliter solui posse; nimirum dicendo haud esse necesse, ut Deus coëxisteret, & non coëxisteret possibilitati ignis, si huius deficeret possibilitas: posse enim huiusmodi possibilitatem aliter deficere, quam per coniunctionem eius cum opposita impossibilitate, videlicet altero ex duobus modis paulò supra propositis, & explicatis. Illud etiam adiciendum duximus priorem argumenti solutionem, in qua veriamur, ita intelligendam esse, ut repugnante igne per coniunctionem in eo possibilitatis cum impossibilitate, Deus esset simul potens, & non potens illum producere, non quoad perfectionem, & entitatem, sed tantum quoad denominationem extrinsecam potentis: in quo quid absurdum?

70.

Argumentantur octauò, hunc in modum: quoties vnum prædicatum formaliter est aliud, deficiente possibilitate vnius necesse est, ut impossibile sit & alterum: quoties igitur vnum prædicatum est eminenter aliud, non poterit non vnum deficere, & repugnare deficiente possibilitate alterius: at Deus per se ipsum essentialiter est eminenter homo vbi gratia: ergo deficiente hominis possibilitate, non poterit Deus non deficere, & repugnare: Deum autem essentialiter habere hoc, quod sit eminenter homo, patet: tum quia Deus secundum se, & essentialiter sumptus est omnis perfectio vel formaliter, eminenter: ergo alterutro modo est perfectio hominis: at non est formaliter perfectio hominis: ergo eminenter. Tum etiam, nemo potest dare, quod non habet: si ergo Deus per se ipsum essentialiter non habet saltem eminenter perfectionem hominis, quomodo eam dare potest? Atqui eam dat: ergo eam eminenter præhabet.

71.

Verum huic argumento ex dictis supra perquam facile respondeo, continentiam eminentialem, qua Deus dicitur esse eminenter homo, & quoduis aliud creatum, iuxta illud Ioan. 1. quod factum est, in ipso vita erat, duo importare,

nempe entitatem talis continentia, & denominationem talis continentia: Deum ergo secundum se, & essentialiter sumptum continere eminenter hominem, quoad huius continentia perfectionem, & entitatem, non verò quoad denominationem, quippe quæ ultra diuinam essentiam importat possibilitatem rerum creaturarum à Deo distinctam: ex eo autem solo, quod denominatio continentis eminenter hominem, aliamue rem creatam esset Deo essentialis, sequi posset, quod deficiente possibilitate hominis, aut alterius creaturæ, Deus deficeret, repugnaretque.

CAPVT IX.

Solutio caterorum argumentorum aduersus veriorum sententiam.

Nonò argumentantur aduersarij. Deus in sua essentia tanquam in obiecto prius cognito cognoscit creaturas omnes posibles: at cognitio vnius in alio importat alterius cum altero connexionem: ergo diuina essentia connectitur cum creaturis possibilibus, ad easque proinde transcendentaliter refertur. Maior est Thomistarum omnium, aliorumque plurium, quos refert, & sequitur Falsus 1. par. tom. 1. q. 14. art. 5. dubit. 1. ac inde probatur, quod nisi Deus in sua essentia, ut in obiecto representato cognosceret omnes creaturas posibles, vix aut ne vix quidem intelligi posset, quo pacto eam posset comprehendere: at quod eam possit comprehendere, imò de facto comprehendat, est certo certius. Tum etiam Deus cognoscit creaturas omnes posibles: at non in se ipsis: ergo in essentia sua prius cognita: quod non in se ipsis, liquet: id enim esset, aliquid creatum, & extra Deum esse obiectum formale diuinæ, & increatæ scientiæ; non citra huius maximam imperfectionem.

72.

Pro solutione argumenti notandum est, duplex esse medium, in quo aliud cognosci possit, seu quod in alterius notitiam manuducat: Videlicet positium, & negatium: medium positium est, quod cum alio de se connectitur, ac proinde in illius cognitionem ducere potest, quantum est ex se, quemcunque intellectum, tamen si lumine aliquo inferiori præditum: medium vero negatium est, quod cum alio de se non connectitur, ac proinde in eius cognitionem quemcunque intellectum ducere nequit; non tamen repugnat coniungi cum intellectu eius altitudinis, & luminis ad eum perfecti, ut non possit illud cognoscere, non cognito alio, cum quo non connectitur, à quo tamen extrinsecus afficitur, & denominatur. Huiusmodi ergo medium negatium, in quo aliud cognosci possit, non repugnare, & in diuinam essentiam comparatione creaturarum possibilem, à quibus de se absoluta est, conuenire, facile suadetur: quoniam perfectio est cognitio rei, quæ eam non solum quoad denominationes intrinsecas, & essentielles, verum etiam quoad extrinsecas, & accidentales dignoscit: igitur essentia diuina imperfectè cognita foret ab intellectu diuino, si eum lateret quoad denominationem absolute potentis producere creaturas, quæ à possibilitate ipsarum creaturarum in eum proficiuntur,

73.